Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

Caput Secundum.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

CAput secundum continet ablegationem exploratorum in terram Canaan, qvi cum in urbem Jericho deveniunt, â meretrice qvadam non excipiuntur tantùm hospitiô, sed etiam contra Regis inqvisitionem periculosissimam proteguntur, domumqve hospites per viam tutam remittuntur. Qvâ fide impetrat meretrix, ut in expeditione urbis postea cùm suæ, tùm totius familiæ incolumitatis privilegia, interveniente pacto, reportet. Partes capitis tres sunt I. continet ἔξοδον sive egressum exploratorum â v. 1. usqve ad 2. II. Habet διαμονὴν sive mansionem, & qvid ipsis Hierichunti evenerit â v. 2. usq; ad 22. III. Habet ἐπάνοδον vel reditum ad Josuam â v. 22. usq; ad finem.

DE PRIMA PARTE.

v. 1. *Misit igitur*) Exodus exploratorum absolvitur v. 1. & describitur κατασκοπικῶς. Si qværis, *qvis* eos miserit? Josua. *Qvot?* duos viros. *Unde?* De Sethim. *Qvomodo?* Occultè. *Cur?* terræ considerandæ causa. *Qvorsum?* in urbem Hiericho, ubi meretrix novis hospitibus qvietem non denegat.

Sethim) est locus in campestribus Moabiticis, ubi populus moram faciebat, expectans ingressum in terram Canaan, vide Num. XXV, 1.

Duos) Rabbi Salomon hosce duos putat fuisse Chalebum & Phinees: illum propter singularem probitatis laudem, Num. XIV, 24. & qvia primæ explorationi interfuerat, Num. XIII, 7. hunc vero propter ingentem, pietatis Zelum, de qvo Num. XXV, 7. Tales enim mittendi videbantur, non meticulosi & seditiosi, ne infausto nuncio populum â proposito itinere deterrerent, qvod cœteri exploratores fecerunt Num. XIII, 32. Verùm hæc probabiliter ita dicuntur. Mittit autem Josua non unum, ne testimonium in dubium vocari posset: nam in ore duorum aut 3. testium stabit omne verum Devt. XIX, 15. Matth. XVIII, 16. neqve mittit plures, qvàm duos, cum tamen Moses miserit 12. Num. XIII, 3. hoc ideo factum est, ut viri eò melius latitare possent: nam legatorum multitudo facilè prodidisset omnia Israëlitarum consilia, præsertim cum jam in confiniis terræ versârentur, nec obscurum ejus occupandæ specimen præ se ferrent.

In abscondito) Hebraicè חֶרֶשׁ à rad. חָרַשׁ, qvod significat operam dedit, cogitationem ac curam intendit, veluti operibus suis incumbunt fabri vel aratores. Fõrsterus in Lexico suo attentiùs reddit: Pagninus Silentio. Hinc nonnulli putant, exploratores hosce, qvò minus agnoscerentur, vel fabros ac aratores, vel surdos mutosqve simulâsse. Qvorum ut illud levi connititur; ita hoc exterarum ter-

terrarum inqvisitoribus minimè est conveniens. Nam hoc pacto majorem suspicandi causam Jerichunticis præbuissent, cum surdi & muti ad peregrinos & ignotos sese conferre vix ac ne vix qvidem soleant. Qvapropter vocabulum hoc nihil aliud vult, nisi qvod Josua duos illos viros clam Cananæis emiserit.

Ingressi sunt domum mulieris meretricis) hoc fecerunt vel ἐξ ἀνάγκης, qvia ipsis procul dubio ab aliis civibus fuit denegatum hospitium: vel ἐκ προαιρέσεως sive consultò: partim ut sub ementita libidinis specie incolis eò facilius imponere, ac institutum suum sartum tectumqve servare possent: partim, qvia ex ea domo murorum statum accuratius commodiusqve contemplari valuerunt.

Et qvieverunt apud eam) Hebraicè, dormiverunt ibi, in eo hospitio, ne qvis putet, eos cum hospita rem habuisse. Josephus lib. 5. antiqvit. Judaic. scribit, *hos primò omnium clanculum considerásse murorum ac portarum statum, ubi ad avertendam hostium irruptionem essent infirmiores: qvibus omnibus ad vespetam usqve ultrò citròqve perspectis, receperunt se in hospitium.*

QVÆSTIO I.
An isthæc exploratio fuerit necessaria?

Videtur, qvod non fuerit: Ratio I. qvia DEus sine

conditione explorationis promiserat Judæis terræ illius possessionem, cui promissioni ne videretur Josua diffidere, debuisset supersedere illa exploratione.

Resp. Promissio divina non labefactatur legitimorum mediorum usu, nec eundem abolet, sed potius confirmat. Cujus rei indicium facit hoc, qvod DEus suprà c. I, 14. *Judæos jussit ire armatos.* Certè si bellicis instrumentis uti mandat, nec improbare vult bellicas actiones.

II. Ratio: qvia terra jamdudum ex mandato Moysis erat explorata Num. XIII, 3.

Resp. Variantibus temporibus variant qvoqve ipsi regnorum atqve incolarum status sæpissimè. Moses miserat exploratores anno secundo ab exitu: Josuâ mittit in principio anni 41. ab exitu. Hoc 39. annorum spacio magnæ rerum multarum mutationes contingere potuerunt.

Affirmativam igitur sententiam amplectimur, qvia jam scire maximoperè intererat. I. An, qvantove studio & apparatu Cananæi adversus Israëlitarum adventum sese præmunirent? II. Ut Israëlitæ ex hostium metu ac consternatione majorem animi confidentiam sumerent. III. Ut DEus hac ratione Rahab cum sua familia per fidei nexum veræ Ecclesiæ agglutinaret.

QVÆSTIO II.

An licitum sit terras exoticas earumqve statum explorare?

Resp. Licitum est: I. Qvia humanæ prudentiæ est, nosse & inqvirere non tantùm media ad conseqvendum

dum finem fructuosa: sed etiam impedimenta & remoras intelligere, qvibus non sublatis, consilia conatusqve pessundari necesse est. II. Licere hoc probatur exemplis, Moysis Num. XIII, 3. & Josuæ hoc in textu. Item cap. VII, 2. nec non Judicum c. I.

Tamen negationis prætextum videntur habere hæc:

I. Qvia Joseph graviter objurgat fratres suos, tanqvam exploratores essent, Gen. XLII, 9. atqve ea propter ipsis vincula minatur v. 16.

II. Paulus Gal. II. 4. Exploratores vocat *falsos fratres.* Respondet Hieronymus in 27. cap. Ezechielis, *explorationem esse rem mediam sive indifferentem, qvâ benè & malè uti liceat, si bellum justum fuerit, explorationem qvoqvè justam esse: injustam verò, si bellum tale fuerit, hoc est, judicanda est exploratio ex legitima belli causa & fine honesto.* Atqve sic Joseph & Paulus loqvuntur de exploratoribus, qvibus justa capessendi belli causa sive politici sive ecclesiastici non est.

QVÆSTIO III.

An Rahab fuerit metrix? A.

Sunt qvi negant, his permoti rationibus. I. Autoritate vel testimonio Chaldaicæ paraphrasis, qvæ eam fœminam vocat cauponariam פונדקיתא.

II. Lyra argumentatur ex ejus conjugio, cujus fit mentio Matth. I, 5. ubi dicitur nupsisse Salmoni, principi tribus Judæ: sed indigna fuisset res, nobilem ducem cum infami & impuro scorto contrahere matrimonium. Ergo non fuit meretrix.

III. Christus natus est non ex meretricia, sed honesta familiâ, vel honestis avis: nec enim delectatur scortis. Natùs est autem ex Rahabis familia. Ergò Rahab non fuit meretrix.

Contrariam sententiam evincit ipse textus, in qvo Rahab appellatur זונה à זנה, qvod est prostituendo sese meruit. Unde etiam apud Latinos â merendo vel turpi qvæstu meretrices dicuntur. Græci vertunt πορνὴν à πέρναμαι vendo vel vendor, qvo nomine Rahabem etiam notat Jacob c. VII, 25. Et Hebr. XI, 31. Unde concludimus, hanc fœminam ex meretricio vitæ genere victitâsse.

Nunc ad objectionem primam respondeo: non est absurdum, meretricem â Chaldæis cauponariam vocari. Nam famoso illi hominum gregi familiare erat, tàm libidinosâ corporũ suorum prostitutione, qvàm instructorum obsoniorum aliarumq; mercium venditione qvæstum venari, qvemadmodùm Hebraicum verbum perspicuè testatur.

Ad *II.* argumentum respondent alii, Rahabem fuisse meretricem non qvæstus causa publicè prostitutam, sed fornicariam saltem, sive libidinis causa pluribus commixtam, qvalis Magdalena fuit: ideoqve non fuisse ὡδὶ πρέπον, eam â principe in uxorem ductam esse, qvasi verò promiscua libido principis amplexu digna sit. Qvin imò si Rahab meretrix est & cauponaria publica, procul dubio qvoqve ex publicâ libidine qvæstum fecit. Nec de nihilo, est, qvod Jacobus & autor ad Hebræos articulum præponunt ἡ πόρνη (Landhure) nobile scortum innuentes.

Qvod

Qvod autem Salmon princeps Judæ eam sibi matrimonio junxit, postqvam abnegata priori turpitudine, vera fide Ecclesiæ Israëliticæ inserta esset, id non tantùm decorum, sed etiam notabile est religiosæ misericordiæ exemplum.

Ad *III.* Resp. Christus, qvà natus fuit ex Rahabe, non ex scorto natus est, sed ex legitima conjuge: qvippe qvæ per legitimum matrimonium ita sancita fuit, ut Salvator eam dignaretur eligere aviam, qvo testatum fecit, se ex resipiscentibus neminem reprobare, sed eorum potius maculas contegere.

QVÆSTIO IV.

An lupanaria in bona Repub. tolerari debeant?

Resp. Non licet ea tolerare. Ratio I. sumitur *à divino interdicto.* Devt. XXIII, 17. *Non erit meretrix de filiabus Israël, nec scortator de filiis Israël.* Et Lev. XIX, 29. *Ne prostituas filiam tuam, ne contaminetur terra & impleatur placulo.* It. Actor. XV, 20. 1. Cor. V, 11. Prov. IX, 10. Eph. V, 5.

II. Sumitur *ab incommodo*: qvia licentia scortandi corrumpit bonos mores, pudorem extingvit, virtutem eliminat: qvin provocat DEI iram ad evertendos populos, ut Cananæos aliasq; gentes propter talia delicta funditus extirpavit. Unde Salomon Prov. XXII, 14. *Fovea profunda os alienæ, cui iratus est Dominus, incidet in eam.*

III. Ab inhonesto, qvia minimè decet ibi Satanæ sacella extruere, ubi in honorem DEI sacra templa freqventantur.

IV. Ab

IV. Ab exemplo. Lupanaria destruxerunt imperatores ac reges optimi, ut Josias 4. Reg. XXIII, 6. Josaphat 3 Reg. XXII, 47. Ita Constantinus, Theodosius, Justinianus & alii everterunt templa Veneris, aliasqve libidinum officinas, tám vi, qvàm legibus. Contrà Heliogabalus, Caligula & Pontifices Romani lupanaria ideò permiserunt, partim ut explendæ libidinis nulli deesse possit occasio: partim ut inde collectis vectigalibus alerentur:

V. à signo: Prohibuit DEus mercedem prostibuli offerre in templo Devt. XXIII, 28. Id ipsum glossa in decretalibus distinct. 90. capite oblationis decernit.

Contrà meretricum patroni Monachi tales solent prætendere rationes pro retinendis lupanaribus.

I. Qvia hoc veluti remedio emendantur nefandæ libidines, qvò honestæ matronæ suam pudicitiam contra nefarios defendere possint.

II. Ratio: Augustinus l. 2. de ordine cap. 4. dicit: Tolle meretrices de rebus humanis & omnia turbaveris libidinibus.

III. Locum Devt. XXIII, 17. qvidam sic exponunt, qvod קדשה non significet meretricem, sed Idolum Priapi obscenissimi.

IV. Ratio; Qvia leges civiles non ejiciunt eas è Romana ditione, de potius pro eorum stipendiis militant in Digestis de dictione ob turpem caussm leg. Idem etsi: Ubi dicitur, qvod *etsi meretrix turpiter facit, qvod meretrix est, tamen turpiter non accipiat, qvod meretrix.* Et iterum ff. tit. de donat. l. affectionis gratia.

Resp.

Landesbibliothek Oldenburg

Resp. jam ad argumenta Objecta: Ad I. per inversionem, hoc modo: Imò ubi libidines impunè feruntur, ibi castitas matronarum honestarum versatur in summo periculo.

Ad II. Augustinus, cùm hæc scripsit, nondum fuit in veritate planè confirmatus. Præterea, qvæ DEUS prohibuit, ea auctoritate Augustini defendi minimè possunt.

Ad III. Falsum est, vocem קְדֵשָׁה non *meretricem significare*: testor Gen. c. 38, 15. & 21. It. Hos. 4, 14.

Ad IV. Respondeo. Leges divinæ derogant humanis. Deinde qvæ leges civiles mutare non potuerunt, permittunt multa, qvæ non approbant.

LOCI COMMUNES.

I. De officio Magistratus.

Magnæ est prudentiæ non solum, qvæ domi ad ædificandam ac roborandam Rempub. conducunt, videre: sed etiam, qvæ eidem foris obesse possunt, prospicere, seduloqve animadvertere. Qva de causa Josua non vult hostibus bellum intentare prius, qvàm ipsorum apparatus, vires, consilia, animos, propugnacula & similia, accuratâ exploratione didicisset. Rectè enim dixit Chabrias, *optimos esse imperatores, qvi res hostium notissimas haberent.* Ac non vulgaris est stultitia adversus ignotos pugnare. Id ipsum qvoqve nobis in spirituali militia imitandum est, ut non tantùm propugnacula *animarum nostrarum* contra infernalis hostis impetus fide muniamus: sed etiam in

ejus consilia & fraudulentas molitiones curiosè ac diligenter inqviramus.

II. DE USU EXPLORATIONIS.

In cœtu militari exploratores non sunt postremi, neq; pœniteat magistratum sumtuum in eos impensorum. Ferdinandus dux nominis inclyti Hispanus, cum rationem belli Neapolitani Ferdinando, regi Hispaniæ, reddere jussus esset, aliqvot tonnas auri in exploratores contulisse fertur, & qvidem tanto cum fœnore, ut Sarracenos in regno Granata & totum Neapolitanum regnum in Hispanorum potestatem redigeret. Eligendi autem sunt ad explorationes non qvilibet, sed periti, magnanimi, fideles, taciturnitatis amantes ac providi. Putat Josephus, exploratores Josuæ fuisse Geometras, ut regionum situm melius observare potuissent. Sic apud Homerum demandatur exploratio Diomedi & Ulyssi, præclaris heroibus.

III. Secreta & arcana non sunt nisi paucis credenda.

Qvemadmodum Josua negocium explorationis hîc duobus committit. Nam ut Nicephorus dixit: *Arcanum pluribus auribus, qvàm uni commissum multifariam erumpit, amissoqve arcani nomine, fama celebris dici debet.*

IV. Frugi civis est, nullum subterfugere periculum, modò saluti patriæ consulatur. Ejus rei exemplum memorabile est, qvod duo isti exploratores lubentissimo

mo animo duci suo obseqvuntur, licèt certò scirent, capita sua per eam legationem summo periculo objici.

V. In benè constituta, multò verò magis Christiana Repub. lupanaria minimè toleranda sunt, neqve inde qvæstus nefandi colligendi.

Explicatio Textus.

II. PARTIS CAP. II.

Nunciatumq; est) Hæc est II. pars capitis, continens ἀπήμονὴν exploratorum. Vix pauculas horas in urbe commorati sunt. Nam per noctem vel circiter crepusculum advenerunt & ante diluculum iterum dimissi sunt, ut apparet ex v. 2. & 8. Notentur autem tria:

1. *accurata regis inqvisitio.*
2. *astuta mulieris protectio.*
3. *Fœderis inter Rahabem & exploratores initi ratio.*

Ad *inqvisitionem* impellitur rex qvorundam civium nuncio, qvi Israëlitarum adventum observaverant.

Educ viros) Hæc disputatio inter regem & Rahabem incidit in genus Judiciale. Regis oratio est in statu Jurediciali. Nam qværitur, justumne sit, advenas Israëlitas è domo educi atqve lictorum manibus tradi? Addit rex mandato suo planè prætorio rationem ab honesto vel æqvo: Exploratores sunt. E. jure in vincula conjiciendi. Hanc rationem adhibet

ob duas causas I. ne Rahab putet aut conqveri possit, sibi suisqve hospitibus vim inferri: nam præter peccati & incommodi alicujus insignis suspicionem non licuisset peregrinos ex hospitio vi extrahere. 2. Qvò eò faciliùs tanqvam patriæ hostes proderet ac educeret.

v.4. *Tollens mulier viros abscondit*) Hebraicè *abscondit eum.* Fabulosum est, qvod ex hoc articulo singularis numeri Judæi qvidam colligunt, alterutrum exploratorem fuisse angelum, qvi cum ipse disparere posset, nullo opus habuit latibulo. Verum *Enallage est numeri* Hebræis in multis locis usitata.

Fateor, venerunt ad me) Hæc oratio mulieris est ἀπολογητικὴ, in statu conjecturali. Qværitur enim, an possint exploratores è domo educi. Utitur autem Rahab pro sententia negativa I. παρομολογίᾳ vel concessione. Verba textus: *Fateor, venerunt.*

II. ἀνθυποφορᾷ, dum occurrit tacitæ objectioni, qværentis, *Cur ergo eos non indicâsti?* respondit: *Nesciebam, unde essent.*

III. Probat â circumstantiis temporis & loci: *Cum porta clauderetur, in tenebris abierunt*: Ergo non possunt educi è domo mea.

IV. Utimur ἀντιθέσει, opponendo inqvisitoribus alium modum eos capiendi: si vid. jam domum redeuntes citò insecuti fuerint.

v.6. *Ipsa autem fecit*) Describitur jam modus, qvomodo Rahab exploratores protexerit. Occurrit

hîc

hîc iterum ἀνακεφαλαίωσις sive ὕστερον πρότερον: nec enim ante collocuta fuit cum ministris regis, qvàm viros occultâsset. Nam licet ad clausas fores tumultuantem turbam vel audiret, inqvisitionem suspicata, tamen prius, perinde ac in anteriore ædium parte alicui operi intenta morulam fecisset, procul dubio exploratores occultavit: postea reclusis foribus mandatum regis auscultavit.

In solarium) solarium est locus, ubi apricatio fieri solet, Hebraicè גג *tectum planum, ambitu munitum,* ut in eo deambulari tutius possit, vide Devt. XXII, 8. & 2. Sam. II, 2.

Stipula tini) Hebraicè: *operuit eos linis ligni,* ubi intelligitur vel tale linum, cui stipulæ, qvæ lignea materia sunt, adhærent: vel notatur peculiare genus lini, de qvo Plinius lib. 19. c. 1. *Superior pars Ægypti*, inqvit, *in Arabiam vergens, gignit fruticem, qvem aliqvi gossopion vocant, plures* ξύλον *& ideò lina indefacta* ξύλινα dicuntur. At ξύλον Græcis significat *lignum.*

v. 7. *Per viam, qvæ ducit ad vadum Jordanis*) Etsi Jordan est fluvius magnus; tamen in nonnullis locis est vadosus suo tempore, nim. versus Jericho & Moab. Jud. III, 28.

QVÆSTIO:

An Rahab rectè fecerit, qvod occultaverit exploratores:

Resp. *Pars negativa* nititur hisce argumentis: *Non rectè fecit.*

I. Qvia mentiendo protexit exploratores.

II. Qvia hostes patriæ recepit, qvod pugnat cum jure naturali, postulante, ut hostes capiantur vel occidantur: aut subdantur in servitutem, ut probatur in ff. de instit. & jure. l. ex. hoc jure &c.

III. Qvia statum patriæ, vehementi metu trepidantis, prodidit.

Pars affirmativa defendit Rahabem talibus rationibus.

I. Qvia exploratores erant & mandato DEI missi & pars veræ Ecclesiæ. At DEI mandatum & cœlestis patriæ salus semper præferenda est terrenæ patriæ, DEoqve invisæ. Qvia prima tabula antecellit secundam: & decet bonum exercere erga omnes μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως. Gal. VI, 10.

II. Laudatur Rahab â tribus testibus omni exceptione majoribus, qvod illustre exemplum fidei ediderit. Testes sunt Matth. I, 5. Autor ad Heb. XI, 31. Jac. II, 25.

At qvæ ex fide fiunt, ea citra omnem dubitationem rectissimè fiunt DEoqve sunt gratissima.

Solutio objectionum negat.

Resp. itaqve ad argumentum I. sententiæ negativæ. Videtur qvidem factum Rahabis mendacium redolere, sed falsò, qvia non competit ei mendacii definitio (collecta ex partibus). *Mendacium est vel â re ipsa, vel â sensu cordis dissensio lingvæ, â levitate vel nocendi voluntate profecta.* At Rahab nec ex levitate nec

nec nocendi ſtudio diſſimulat præſentiam exploratorum. E. non fuit mentita. Aliud enim eſt mentiri, aliud eſt diſſimulare & occultare verum, avertendi periculi vel boni alicujus eximii promovendi cauſa.

Ad II. reſpondeo per παρρησιολογίαν. Recepit qvidem Rahab hoſtes patriæ, ſed recepit etiam amicos & filios DEi, qvorum patrocinium gentilis patriæ curæ præferre nos jubet omnes vera fides & ſincera erga Deum dilectio, juxta illud Pſ. XLIV, 11. *audi filia & vide & inclina aurem tuam & obliviſcere populum tuum & domum patris tui.* Nam jus naturæ regeneratæ fortius nos obligat jure naturæ generalis & corruptæ, qvæ vehementiore hominum amore tangitur, qvam DEI.

Reſp. ad III. per negationem. Non erat proditio, ſed divini judicii agnitio & confeſſio. Intelligit enim Rahab, ſuos populares Panico ac fatali terrore percuſſos eſſe, iisdemqve ex DEI decreto non niſi πανολεθρίαν jamjam certiſſimè imminere.

LOCI THEOLOGICI.

I. Tales ſunt perverſorum hominum mores, ut in mundanis ac levioris momenti negociis ſint curioſiſſimi vigilantiſſimiq;: in ſpiritualibus verò, qvæ ex re animarum ſunt, in utramq;, ut dicitur, aurem dormiunt, vix mediocrem, ne dicam nullam, adhibentes diligentiam.

Qvemadmodum iſti Hierichuntici cives, ut primum de exploratorum adventu rumor increbuiſſet, ſollicitant regem de viris inqvirendis, mittunt, noctur-

ſturno tempore nuncios ac ſatellites, qvi viam ad vadum Jordanis usqve rurſus prorſum rimentur, ſicubi illos comprehendere poſſint. Interea qvæ ſit vera religio cultusqve DEI, non tantùm nihil ſcrutantur; Sed etiam populum DEI ad internecionem usqve perſeqvuntur. Hoc eſt, qvod Salvator dicit: *Filii hujus ſeculi prudentiores ſunt filiis lucis in generatione ſua* Luc. XVI, 8. Nos contra, ſi incendiarios, exploratores, latrones aut alios procul â portis noſtris profligamus; qvantò magis falſæ doctrinæ profeſſoribus aures voluntatesqve noſtras obſerare debemus, ne animæ noſtræ ſectarum veluti retibus implicentur.

II. Utcunqve vigilent laborentqve Jerichuntici, tamen DEO non cuſtode, propulſandis periculis non ſufficiunt. *Nam niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qvi cuſtodit eam* Pſ. CXXVI, 1. Item *non eſt ſapientia: non eſt intelligentia, non eſt conſilium contra Dominum*: Prov. XXI, 30.

III. Qvi in vocatione ſua in multas viæ vitæq; ſuæ aſpredines incidit, non ſit abjecto animo, ſed certò ſtatuat, DEum pro ſua ſapientia, modum rationemq; inde emergendi opportunè oſtenſurum eſſe: id qvod iſti duo exploratores ſuo comprobant exemplo.

IV. DEus mirificè poteſt ſuos legatos & nuncios protegere etiam inter media hoſtium agmina & arma, qvorum tamen tanta neqvit eſſe potentia & aſtutia, qvin eam divina ſapientia planè inſtar fumi in ventos diſſipet, atqve adverſarios omnium piorum probro acludibrio exponat.

LO-

LOCI POLITICI.

I. *Bonis civibus minimè reticere licet eos, qvi patriæ extrema pericula intentant*: Nam silentium Amyclas perdidit. Qvi in hoc aliqvid negligunt, non pro civibus, sed pro hostibus, non pro tutoribus, sed proditoribus communis salutis habendi sunt. Multò verò minus in Ecclesia παρείσακτοι ψευδάδελφοι *i.e.* introducti falsi fratres, qvi subintroierunt explorare libertatem nostram, ut loqvitur Paulus Gal. II, 4.

II. De officio Magistratus.

Duæ sunt insignes boni principis virtutes: 1. Est *sedulitas*, ne communem rumorem facilè tanqvam inanes nugas contemnant, sed diligenter & accuratè in rei veritatem inqvirant; interea non omnibus credant, nec nullis: hoc enim securitatis est, illud vero timiditatis: Atqve sic Rex Jerichunticus non facit nihili rumorem civium de exploratoribus. 2. Est *prudentia*, ne causâ nondum sufficienter cognitâ ad executionem violentam properet; sed ut delatis prius respondendi ac defendendi sè potestatem permittat.

III. Privati cives sine superiorum mandato, vel necessitate non exigente, non debent impetum facere in alienas ædes.

IV. In oppidis probè munitis portæ maturè claudendæ sunt, anteqvam tenebræ ingravescant: ne furtim possint vel proditores se insinuare, vel malefici effugere.

V. Nuncii DEI recipi debent lubenter, tractari humaniter, dimitti incolumes. Tam religiosæ hospita-

Landesbibliothek Oldenburg

litatis laudem summam meoetur Rahab, suamqve in eo fidem abundè testatam facit, qvod exploratores sanctos DEI viros non sine extremo vitæ suo periculo excipit, defendit, dimittit: id qvod nos DEus omnes facere severè jubet Esa. LVIII, 7. *Egenos vagosqvi induc in domum.* Rom. XII, 13. 1. Pet. IV, 9. Hebr. XIII, 2. Promittit etiam in resurrectione præmia τῆς φιλοξενίας Matth. X, 41. Exempla qvære Gen. XVIII, 4. Reg. XVII. Adde, qvod etiam increduli Ethnici hospites incolumitatis privilegio donârint, ejusdem violatores infamiâ notantes; sicut Cicero in Verrem & Euripides in Polymnestorem in Hecuba eo nomine invehitur.

EXPLICATIO TEXTUS.

v. 8. *Nec dum obdormierant)* Incipit hîc Josua historiam fœderis narrare, qvod Rahab cum exploratoribus de sua suorumqve incolumitate paciscitur. Ubi notetur.

I. Fœderis petitio.

II. Ejusdem constitutio.

v. 9. *Novi qvod Dominus)* Oratio hæc est in Genere Deliberativo: nam in ea petit Rahab ab exploratoribus, ut sibi suisqve incolumitatem, interposito juramento, promittere velint. Hanc petitionem probat tribus argumentis, qvæ ad æqvum sive honestum omnia referri possunt.

I. Sumitur *ab humili subjectione*, cujus vis est hæc: Subjectis meritò parcendum est.

At Rahab subjicit se novo Israëlitarum dominio, qvos agnoscit patriæ suæ dominos ex decreto DEI certissimè futuros. Er-

Ergò Rahabi meritò est parcendum.

Minorem amplificat προκτλήψει, si qvis qværat: Unde certò scis, DEum dedisse terram istam in manus Israëlis? Responsionis loco affert Rahab tres causas;

I. â signo: Qvia invasit Hierichunticos tantus terror, ut omnium corda metu ac langvore diffluxerint v. 9.

II. â miraculo exiccati maris rubri tempore egressus ex Ægypto v. 10.

III. ab exemplo regum Amorrhæorum Sehon & Og, qvos Israëlitæ antea gladio è medio sustulerant. Num. XXI 24. & 35. It. Devt. III. ubi describitur Og maximæ staturæ.

II. Argumentum sumitur *â societate divini cultus*:

Qvi eandem religionem unanimi fide amplectuntur, ii sibi mutuò parcere debent.

At Rahab eandem cum Israëlitis religionem unanimi fide amplectitur, dum ipsorum DEum, Dominum cœli & terræ, agnoscit & invocat, v. 3.

E. Rahabi Israëlitæ parcere debent

III. sumitur *ab antecedente beneficiô*.

Misericordia est misericordiæ officiis compensanda:

At Rahab præstitit Israelitis misericordiam v. 12.

E. Israëlitæ vicissim debent Rahabi misericordiæ officia ad conservandam ejus vitam conferre.

v. 12. *Nunc ergò jurate*) Hæc est propositio δεητικὴ, confirmationi subjecta & duabus circumstantiis eleganter vestita. Exprimit enim *I.* Juramenti formam, dum exploratores jurare jubentur per Dominum v. 12. *II.* Materiam, cujusmodi sunt partim per-

sonæ, partim res. Personæ sunt Rahab & domus patris sui. Domum resolvit Rahab κατ' μερισμὸν in patrem, matrem, fratres & sorores. Res vocat omnia, qvæ illorum sunt. v. 13.

v.8 *Nec dum obdormierant*) Hebraicè, anteqvam obdormierunt: qvo innuitur, exploratores ex ædibus Rahab non fuisse dimissos priùs, qvàm nocturnam aliqvam qvietem cepissent. Tale enim est ingenium hominis, vitam salutemqve suam DEo vera fide committentis, ut etiam in ipso periculo & limine mortis pacato & tranqvillo animo esse possit: cum increduli contrà diffidentiæ dubitationumqve fluctibus ita conqvassentur, ut ubi pedem figant, nullibi portum conspiciant. *Timent enim, ubi non est timor*, Ps. XIII, 5.

v.9. *Novi qvod Dominus*) Hebraicè יָדַעְתִּי à יָדַע *scio*, opponitur non tantum ignorantiæ, sed etiam omni dubitationi, ut apparet ex hisce dictis Lev. V, 1. ubi interdicitur, ne testis, qvi fortè qvempiam execrari viderit vel cognoverit, id reticeat: at fidelis testis est, non opinari, sed scire certò. Sic Gen. XV, 13. *sciendo scies, qvod peregrinum futurum sit semen tuum.* Hinc de DEo usurpatur ab omni dubitatione alienissimo, ut Psal. I, ult. Deut. XXXIV, antepenult. Unde דֵּעוֹת sive דֵּעָה significat *certam notitiam*: Ut 1 Sam. II, 3. *DEus scientiarum est JEHOVAH*, at JEHOVAH non est DEUS opinionis. Ergò scientia non est opinio, multò minus dubitatio. Græci vertunt ἐπίστασθαι, qvod & ipsum *notitiam indubiam* significat. Qvapropter Rahab non ex qvibusdam conjecturis infir-

firmam de Deo Israëlitico opinionem habuit, sed ex argumentis, qvæ sunt vera & verè ἀποδεικτικὰ, constanter ac firmiter conclusit, hunc esse verum Deum, qvi se populo Israëlitico per tot illustria miracula & protectionis exempla revelâsset.

Terror vester) Hebraicè אֵימָה significat *talem horrorem, qvalem gigantes terribili monstrosæ suæ magnitudinis aspectu pumilionibus incutere possunt.* Nam dantur Hebraicè אֵמִים gigantes Deut. II, 10. i. e. crudeles tyranni & magnæ staturæ populi. Atqve ita percussit DEus gentes ingenti terrore ad adventum Hebræorum, haud secus, ac si prodigiosorum gigantum exercitus in eos irruerent. Hoc multum animi attulit Judæis, utpote qvibus Cananæi gigantes magno erant terrori: Verùm facile erat Deo robustis animum auferre & contrà timidos animos reddere.

Elanguerunt) Hebraicè נָמֹגוּ *liqvefacti sunt*, à מוּג *liqvefecit*. Hic notandum est *tres* posse constitui *gradus metus* ac timoris, ratione triplicis objecti, qvod est vel φοβερὸν: vel φοβερώτερον: vel φοβερώτατον. magnum, majus, maximum formidabile. In metu magni vel gravis mali non exuit cor vires suas, sed eas potius exuscitat & acuit ad avertendum, qvod timet. Deinde in metu gravioris mali incipit qvidẽ cor langvescere: tamen non amittit vires prorsus, sed qvantum valet, resistit malo. Tertiò, in metu gravissimi mali, DEo præsertim perterrefaciente planè liqvescit cor, ita ut vir nec velit, nec possit ingruenti periculo sese opponere. De tali metu ac langvore lo-

loqvitur textus, qvi conjunctus est cum summa desperatione propulsandi periculum;

v.10. *Aqvas maris rubri*) Hebraicè maris סוף junci, ut intelligatur mare juncosum & carectosum: qva epitheto notatur mare rubrum hîc & alibi. Ps. CV, 9. & CXXXV, 3.

v.11. *Nec remansit in nobis spiritus*) Hebr: *non surrexit ultrà spiritus in viro â facie vestra.* Perqvàm congruè ac propriè hoc dicitur: Nam in heroica & magnanimi natura excitantur conspectu hastæ spiritus ad resistendum, ac feruntur sæpè tanto impetu, ut sangvis concomitans per totum corporis habitum diffundatur. Qvin imò legimus de Georgio Scanderbego cognomine Castrioto, principe Epiri, qvod sangvinem ex labiis effuderit, si hostem fortiter aggressus est. At contrà in magna consternatione recurrunt spiritus ad cor, veluti fontem suum. Hinc omnia membra suo vigore destituta, (nam omnis virtus est â spiritibus per arterias discurrentibus) trepidant & lingvent.

Dominus enim DEus vester ipse est DEus) describit Rahab verum DEum â voluntate & essentia. A voluntate appellat ipsum DEum Hebræorum ob revelatum verbum & datam salutis æternæ promissionem in semine benedicto factam. Nam esse DEum Israëlis nihil aliud est, qvàm ejus populi principem, defensorem ac protectorem esse. Ad essentiam autem DEI pertinet qvod dicitur esse in cœlo & in terra, qvo significatur, DEUM esse essen-

essentiam infinitam ac nullo loco circumscriptam, item omnipotentem, cujus potestati terrena ac cœlestia subjecta sint. Ut autem videas, cujus spiritus instinctu agatur Rahab, utitur ipsissimis verbis Mosis Devt. IV, 39. *Scito hodiè & cogitato in corde tuo, quod Dominus ipse est DEus, in cœlo sursum & in terra deorsum, & non sit alius.* It. Salomonis 3. Reg. VIII, 23.

v. 12. *Domo patris*) *domus* in scriptura significat 1. *Universum populum, ab eadem familia descendentem*, ut domus Jacob, domus Israël. 2. Significat *unam tribum*, ut domus Aaron, domus Levi. 3. *Unam Oeconomiam* sive οἰκονομίαν mariti & uxoris, filiorum & servorum ut Ps. CXXVII, 3. 4. Significat *congregationem plurium hominum sub eadem familia*, licet sub diversis Oeconomiis viventium, ut hoc in loco & Judic. VI, 15.

Verum signum) Hebr. *signum veritatis.* Petit signum vel testimonium certitudinis, ne habeat causam ullam dubitandi de sua incolumitate. Nullum autem intelligit aliud signum, qvàm modò petitum juramentum, qvo non tantùm significamus, sed etiam obsignamus, voluntatem nostram erga proximum. Qvod vero huic additur funiculus coccineus, id liberalitati exploratorum acceptum referri debet.

QVÆSTIO I.

An Rahab habuerit veram ac salvificam fidem? Aff.

Ma-

Maximè habuit: id qvod argumentis firmissimis demonstrari potest.

I. Qvia agnoscit & confitetur DEum Jehovam, qvi est verus DEUS, qvi se Israëlitico populo patefecit v. 9. & 12.

II. Qvia utitur verbo fidei proprio, eum se nosse, dicit. v. 9.

III. Qvia vocat expressè DEum Judæorum cum, qvi est in cœlo sursum & in terra deorsum v. 11.

IV. Qvia legitur fide servata. Hebr. XI, 31.

Negatur.

At huic opponi potest. I. Qvia versabatur extra veram Ecclesiam in cœtu gentium, ubi nullum erat ministerium verbi publicum, qvo fides in ea accendi potuisset. II. Qvia numerat se Rahab inter perterritas & desperabundas gentes, cum dicit: *Irruit in nos terror vester*, v. 9.

λύσις.

Respondeo ad I. Causa adducta vera est de ordinaria conversione qvæ fit per verbum publicum: at qvæ conversio est extraordinaria, fit per miracula & per honestam illis sparsam de DEo famam: atqve hoc pacto conversa fuit Rahab ex auditu miraculorum: hoc nihil obstante, qvod ministerio publico non fruebatur.

Deinde licet externa conversatione esset extra veram Ecclesiam: tamen fide & confessione eidem erat conjunctissima. Nam Catholicæ Ecclesiæ membra non uniuntur loco, sed spiritu.

Resp.

Resp. ad II. Utitur mulier vel κοινωνίᾳ qvadam oratoria, qva dicentes se annumerant iis, de qvibus sermonem habent: vel utitur synecdoche partis potioris. 2. Adjungit se Rahab desperati animi gentibus, non simpliciter, sed ita, ut se ab iisdem paulò post veræ fidei confessione segreget ac divellat.

QVÆSTIO II.

An RAHABEM conservare sit opus misericordiæ? Affirmatur.

Petit enim ipsa, sibi domuiqve patris sui misericordiam fieri, & exploratores eam illis non denegant.

Sed objici potest.

Qvod meriti & justitiæ est, id non est opus misericordiæ. At Rahabem conservare est opus meriti & justitiæ. E. non misericordiæ. Probo MINOREM qvia jus τῆς ἀντιποδόσεως postulat, ut exploratores vitæ parcant ejus, cujus protectione ipsi qvoqve discrimen vitæ summum evaserant.

Respondeo: MAJOR vera est de formali causa justitiæ & misericordiæ, non de materiali. Nam fieri potest, ut adhibita respectus diversitate utraqve virtus unum idemqve objectum, in qvo exerceatur, nanciscatur. Qvare ut ad MINOREM respondeam: respectu accepti beneficii, qvatenus exploratores per Rahabem protecti fuerant, debebant ei vicissim ex justitiæ præscripto vitam ac incolumitatem. Contra respectu oppidanæ πανολεθρίας vel universalis exitii, erat misericordiæ officium, eam è communi periculo

liberare, qvippe qvam ſalutaris converſio ac fides gentili ſupplicio jam indignam fecerat: inprimis vero reſpectu ſeveriſſimi mandati, qvo DEus omnes Cananæos, terram eam poſſidentes & inhabitantes, juſſerat diſperdere. Num. XXXIII, 52.

LOCI THEOLOGICI.

I. Supernaturalis & divinus eſt terror, cum pars populoſior ac robuſtior minorem ac infirmiorem metuit, ſicuti hîc Cananæi Iſraëlitarum potentiam pavent, cùm tamen illorum longè major eſſet copia, Devt. VII, 1. *Qvia Domino non eſt difficile ſalvare vel in multis vel in paucis* 1. Reg. XIV, 6. & 2. Par XIV, 11. Qvare piis neqve multitudo nec potentia hoſtium metuenda eſt, ſed victoriæ ſpes in ſolo DEo figenda, in cujus manibus ſunt corda hominum, atqve uno nutu ad deſperationem flecti poſſunt. Sic enim dicit Devt. II, 25. *Hodiè incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuam in populos, qvi habitant ſub omni cœlo ut audito nomine tuo paveant & in morem parturientium contremiſcant & dolore teneantur.* It. Devt. XI, 25. & 4. Reg. VII, 6.

II. Finis miraculorum divinorum eſt in reſipiſcentibus veri DEI agnitio: in impœnitentibus extrema deſperatio. Nam in aliis operantur miracula pœnitentiam & fidem, ut in Rahabe: in Nabuchodonoſore Dan. IV, 31. in populo Samuelis 1. Reg. XII, 19. in centurione Luc. XXIII, 47. Verùm in aliis, qvi reſipiſcere nolunt, metum ac terrorem excitant, ut Dan. V, 9. Exod. XV, 15. Qva de cauſa miracula Hebræis dicun-

cuntur מוֹרָאִים â יָרֵא timuit, q. d. tremenda vel terribilia: Devt. IV, 34. & XXXIV, 8.

III. De fidei proprietatibus.

Veræ fidei proprietates sunt hæ ex textu collectæ. *Prima* veræ fidei proprietas est, qvod non dubitat & ambigit, sicuti Pontificii de ea sophisticantur, sed objecto suo firmo assensu adhæret: *Novi* dicit, non *opinor* vel *puto*. Sic Job. loqvitur XIX, 25. & 1. Joh III.

Secunda fidei proprietas est, qvod agnoscit non tantùm DEum esse (id enim luce qvoqve naturæ qvodammodo intelligit) sed etiam qvis sit & qvalis, nempè Jehova & verus DEus Israëlis, qvin etiam infinitus non tantùm duratione, sed etiam essentia & potentia: Nam fatetur Rahab, DEum esse in cœlo & in terra, innuens, ipsum omnia posse, ubiqve, ejusq; potentiæ naturæ ordinem subjectum esse.

Talem de Deo fidem scientia physica non parit, qvæ ejusmodi causarum secundarum necessitatem statuit, ut eam nulla superiore causa impediri posse concedat. Qvare impium fuit Averrois pronunciatum: Cum *Nazarenos* (intellige Christianos ita ignominiosè notari) dixit *ad sciendum indispositos*, propterea qvod concederent miracula & omnipotentiam DEI, atqve ita rerum necessitatem tollerent. *Tertiò*. Fides non manet in corde occulta, sed per confessionem oris veluti flamma ex concusso silice prorumpit juxta hoc Rom. X, 10. *Qvartò*. Fides efficax est per charitatis officia, proximo laboranti succurrit, defendit ejus vitam, nec de sua magis qvàm alterius salute an-

gitur. Qvare Paulus: *Fides*, inqvit, *charitatem efficit*, Gal. V, 6. Et Jacob *fidem sine operibus* dicit *mortuam* c. II, 26. Qvod igitur Rahab secum etiam familiam suam vult incolumem conservari, in eo non postremum fidei fructum ostendit. *Qvintò.* Fides servat in charitate eam discretionem, ut DEI potius, qvàm hominum, & inter hos credentium magis, qvàm incredulorum habeat rationem. Sicuti fratres hosce duos spirituales plus diligit Rahab, qvàm universam patriam, in idololatriæ cœno sepultam. Atq; hoc est, qvod Christus â sponsa sua exigit Ps. XLIV, 11. & Matth. X, 37. Hoc non attendunt ii, qvi patriis erroribus ac sectis, qvibus innutriti sunt & educati, malunt perseverare, & cum majoribus suis perire, qvàm illis missis veram fidem ab exoticis populis DEo revelante recipere. *Sextò.* Fides vera summam adhibet diligentiam, ut omnes, si fieri potest, convertat, ac â temporaneis & æternis pœnis liberet. Ita Rahabem pœnitet vitæ suæ, nisi etiam universam patriam domum in eodem beatitudinis portu constitutam videat.

IV. DE VERA ECCLESIA.

Ecclesia DEI nunqvam est ad certum locum colligata, sed sua membra dispersa habet inter Judæos & gentes, ex qvibus utrisq; colligitur. Nam nostra Rahab est ex gente Cananæa, Ruth ex Moabitica: Job ex Idumæa: Naëman fuit Syrus: Darius, Medus: Ninivitæ Assyrii. Hos & alios plurimos convertit DEus, vel per prophetam aliqvem: vel per Judæos hinc inde bellis dispersos: vel per gloriosam de miraculis

culis divinis famam: aut didicerunt verã religionem Hierosolymis. Ita *dominatus* est Messias qvovis seculo mundi *etiam in medio inimicorum*. Ps CIX, 2.

II. Vera Ecclesia non est ex hominum multitudine judicanda. Audimus enim hîc, ex omnibus civibus Hierichunticis solam Rahabem credere. Nec licet gentes promiscuè ac universim ad Orcum damnare, ne cum sterili lolio nobile triticum unà evellatur.

LOCI POLITICI.

I. Juramenta sunt humanæ voluntatis sigilla & contractuum legitimorum fulcimenta, qvibus alter alteri fortius astringitur ad servandam fidem sub divinæ ultionis metu.

II. Non licet jurare nisi salute hominis, vel aliâ evidenti necessitate postulante: sicut Rahab eam ob causam juramentum petit, qvo de sui conservatione eò certior esse possit.

III. Juramenta fiant cum invocatione non DEorum gentilium, sed in nomine IEHOVÆ, i. e. S. Sanctæ Trinitatis.

IV. Juramenta alia sunt *Judicialia*, qvæ in foro politico litigantibus imponuntur: alia sunt *voluntaria*, qvæ ex libera voluntate contrahentium ad confirmandos contractus, aut promissa stabilienda pars parti defert: unde etiam in schola JCtorum dicuntur *conventionalia*, vel juramenta ex pactione. At tale juramentum conventionale erat hoc Rahabis.

Explicatio Textus.

v. 14. *Qvi responderunt ei*) describitur jam ipsius fœderis sive pacti constitutio, cujus partes 2. sunt: stipulatio & restipulatio. In stipulatione promittunt exploratores Rahabi immunitatem vitæ, sed cum qvadruplici conditione. 1. Ne prodat eos v. 14. 2. Ut liget funem coccineum in fenestra advenientibus Judæis v. 18 3. ut omnem cognationem suam congreget in domum suam v. eod. 4. Ne qvis ostium illius domus egrediatur. v. 19. In restipulatione vero accipit Rahab conditiones oblatas, iisq; ita obtemperat, ne minimam qvidem partem â data fide discedere velit.

Anima nostra sit pro vobis) Vox *anima* accipitur h. l. pro vita per Meton. causæ pro effectu, qvod apparet ex præcedenti versu, ubi Rahab dicit: Eruatis *animas nostras*, *i. e.* vitam nostram ex morte. Oppignorant ergò exploratores vitam suam testificantes, se Rahabis vitæ non secus ac suæ patrocinium susceptures esse.

Si tamen non prodideris nos) Hebr. *si non indicaveris verbum nostrum hoc.* Hebræum דָּבָר utrumq; significat & rem ipsam, sive negotium tàm explorationis qvàm confœderationis, & de eodem institutum colloqvium.

Misericordiam & veritatem) *Misericordia* respicit miseriam & calamitatem urbis Hi-

Hierichunticæ, qvam Rahab metuebat, ne cum civibus suis haberet communem: neq; enim ignorabat illud Poëtæ: *Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet.* In hostili præsertim irruptione, qvam misericordia rarò levigat, sævitia plerumqve exasperat. *Veritas* autem spectat fidem ac promissionem, in qvadanda providi, in servanda autem liberales esse debemus.

v. 15. *Dimisit ergò eos*) καὶ ἐπεμβολὴν inseritur huic colloqvio conventionali dimissio exploratorum, & sed ingrediendatutiore via fidelis informatio.

Domus enim ejus) Hebr. *Domus ejus in pariete muri erat & in muro ipsa habitabat*, h. e. paries rat muro contiguus.

v. 16. *Qvalitate tribus diebus*) Tàm diu enim videbantur inqvisitores abfuturi, non tantùm ob viam versus Jordanem, qvæ unius diei itinere mensurari poterat, de etiam ob διεξόδους sive digressiones in alias vias.

v. 18. *Signum fuerit funiculus iste*) Hebr. *regulam vel lineam fili coccinei ligabis in fenestra.* Coccinus Hebræis שָׁנִי à שָׁנָה *iteravit*, est color rubeus, purpureus vel sangvineus, qvo linum vel lana bis tingitur. Significat autem *funiculus iste coccineus I. fœdum ac abominandum peccatorum reatum*, quo se hactenus meretrix isthæc turpiter contaminaverat. Es. I. 18. Comparantur peccata coccino, & Ps. L. 16. sangvi-

gvini propterea, qvòd peccatis polluti, veluti latrones interfectorum sangvinem stillantes, in conspectu DEI abominatio sumus. 2. *Expiationem peccatorum sangvine ac morte Christi factam*, propter qvam DEus animabus nostris parcit, easq; per corporalis & æternæ mortis fenestras salvas dimittit.

v. 19. *Sangvis ipsius*) *sangvis* ponitur hîc per Meton. subjecti pro adjuncto, pro *culpa*. Nam sangvini, qvi temerè ac contra legem effunditur, adhæret culpa mortis, propter comminationem DEI. Gen. IX, 7. Hinc Chaldæus vertit חובת קטולה *i. e.* culpa necis suæ.

v. 21. *Dimittens eos*) sejunctæ hæ sunt actiones, ut patet ex Hebræo, dimisit ac ligavit lineam cocci; nec enim funem dimissis exploratoribus ilicò appendit, ne signum istud Jerichunticos in suspicionem alicujus cum hoste collusionis inducere posset: sed qvod illi petierant, satis erat, advenientibus tandem Israëlitis signum coccineum ostendi.

QVÆSTIO:

An rectè faciant exploratores, qvod cum Rahabe fœdus ineunt?

Videtur hoc factum reprehensione minimè carere: I. qvia fœdus paciscuntur sine consilio & mandato Josuæ, â cujus voluntate legati toti pendere debebant. II. Excommunicandi non sunt in fœdus recipiendi. At omnes Cananæi sunt excommunicandi; E. nulli Cananæi sunt in fœdus recipiendi. Probatur

Mi-

MINOR. Nam Devt. VII, 20. jubet DEus omnes Cananæos delere & disperdere. III. Qvia Exod. XXIII 32. interdicit DEus expressè, ne qvis cum gentibus fœdus ineat.

Attamen contrà defenditur hoc factum non immeritò:

I Qvia est opus misericordiæ & gratitudinis pro fideli hospitio ac tutela. Jam qvis ignorat, DEum malle misericordiam, qvàm sacrificium, Matth. IX, 13. Hos. VI, 6.

2. Qvia populus Israëliticus parcendo domui Rahabææ liqvido testatur, sibi non displicere initum fœdus.

Jam respondeo ad *Objecta argumenta*. In I. committitur fallacia conseq. Nec enim solum ea rectè faciebant exploratores, qvæ Josua mandârat, sed etiam, qvæ implicito consensu permiserat, cujusmodi factum hoc est. Nam si eos voluit populi statum rimari, non potuit non iis qvoqve talium mediorum usum concedere. sine qvibus legationis finem conseqvi minimè poterant.

Ad II. Deus Cananæos voluit extinctos non simpliciter, sed in eum finem, ne Judæos suis exemplis ad similia peccata & gentiles cultus pertrahere possent, in eandemqve ruinam præcipites agere. Vide Exod. XXIII, 33. At talis finis poterat vera conversione gentium impediri. Ergò DEus minimè voluit resipiscentes extingvi, cujusmodi Rahab erat.

Ad III. respondeo. Prohibitio illa DEI pertinet itidem ad populos profanos & impœnitentes, qvi ut à veræ Ecclesiæ communitate sunt alieni; ita fœde-

rum ſuorum teſtes fictitia ac fabuloſa numina adhibere ſolent.

LOCI THEOLOGICI.

I. Ab exploratoribus hiſce petimus exempla virtutum varia:

1. τῆς ἀληθείας *i. e. æqvitatis.* 2. *gratitudinis.* 3. *Candoris.*

Æqvitatis eſt, qvod legem DEI de delendis Cananæis mitius interpretantur ob intervenientem Rahabis converſionem, & in diverſorio ſibi declaratam beneficentiam ac fidelitatem. Qvod ſi ſtricto jure agere voluiſſet actum fuiſſet, cum meretriculæ familia. Talem animi moderationem meritò nos qvoqve experiri patimur eos omnes, qvi ſibi de nobis multum miſericordiæ ac humanitatis pollicentur: id ita DEum omnis clementiæ archetypum ſtrenuè imitantes præmia digna reportemus.

Gratitudinis eſt præterea, qvod hoſpitæ ſuæ ex præſcripto τῆς ἀμοιβαίας naturali, pro virili gratificantur, reddentes vitam pro vita. Qvin imò hoſpitam vincunt beneficiorum amplitudine, dum cum ipſa tutata fuiſſet amborum vitam, hi eandem cum familia conſervaturos eſſe pollicentur. Germana hæc eſt & planè divina munificentia, qvæ ſe anguſtis compenſationis terminis contineri non patitur, ſed officiis qvoqve ita certat, ut non tantùm merita accepta καθ' ἀξίαν compenſaſſe, ſed etiam novam gratiam promeruiſſe videri poſſit. In qvo virtutis genere DEus parem habet neminem?

Can-

Candoris ſpecimen edunt exploratores in eo, qvod non præſtigiis verborum ludunt, & meretricem adunco naſo ſuſpendunt: ſed verbis utuntur claris & perſpicuis. Limitant etiam ſuam promiſſionem circumſtantiis & conditionibus ſingulis ita, ut tergiverſationi & dolo nullus locus relinqvatur.

II. A Rahabe dimittente exploratores per feneſtram de muro eisqve viam tutam monſtrante petimus *exemplum veræ ac ſimplicis dilectionis*, qvæ primò omnia vitæ pericula ſusqve deqve fert, modò proximi ſalus in vado & portu ſit. Nam muros tranſcendere ſacrarum legum autoritate capitale crimen eſt, ſicuti in ſanctis qvoq; inſtitutionibus de rerum diviſione hoc extat: *ſanctæ qvoqve res, veluti muri aut portæ civitatis qvodammodò divini juris ſunt*: Et poſtea: *Ideò autem muros ſanctos dicimus, qvia pœna capitis conſtituta eſt in eos, qvi aliqvid in muros deliqverunt.* Ac propterea ſcribit Plutarchus in Probl. ex Varrone, qvod Romulus Remum fratrem occiderit, ideò qvod muros, ὡς ἄβατον καὶ ἱερὸν τόπον feciſſet ſuo exemplo ὑπέρβατον. Verum Rahab hoc vitæ periculum tanti non facit, qvin libenter ei caput ſuum exponat, modò virorum optimorum ſaluti conſultum ſit. Deinde ſincera dilectio non ſuæ ſaltem, verùm etiam alterius ſalutis eſt ſtudioſiſſima, dum proximo optima qvæqve conſulit. Admonet eos de vitandis periculis, atqve inde evadendi media, qvàm poteſt fideliſſimè oſtendit.

LOCI POLITICI.

I. In faciendis contractibus adhibenda est summa industria ac prudentia, ut conditiones ad rem spectantes omnes nominatim exprimamus, ac perspicuis verbis proponamus, propterea qvod etiam una illarum labefactata tetum contractum irritum fieri, nec partes amplius obligari necessum sit. Hoc est, qvod exploratores conditiones juramenti tàm diligenter inculcant. Qva in re si qvid neglectum fuerit, potest qvispiam causa facile cadere: nam jura vigilantibus subveniunt, non dormientibus.

II. Qvi conditiones contractuum violat, is culpæ damniqve causam sibi ipsi imputet: dum altera pars obligationis vinculo ita liberatur.

III. Qvod exploratores conditiones pacti Rahabi accuratè inculcant, & exqvisitè describunt, eo docent nos, contractuum alios esse bonæ fidei, in qvibus ob simplices contrahentium animos æqvi ac boni ratio haud accuratè & subtiliter disputatur: alios vero esse stricti juris, qvi non admittunt mitiorem interpretationem, sed certis formulis & verborum angustiis præcisè astringuntur.

III. PARS SECUNDI CAPITIS.

v. 22. *Illi verò ambulantes*) Hæc est tertia & postrema pars capitis continens reversionem exploratorum ad Josuam. Notetur in hoc itinere.

nere. I. *Mora triduana*, qvam fecerunt in montanis, emissariorum metu eò compulsi. II. *Occasio reditus*: Hanc inde captabant, qvia emissarii regii jam in urbem fuerant reversi. III. *Relatio* sive *enarratio partim* τῶν γεγενημένων, qvid sibi evenisset, qvantis periculis compressi, qvibusqve inde mediis erepti essent, v. 23. *partim* τῶν μελλόντων, qvod DEus certissimè terræ illius possessionem Israëlitis daturus sit. Additur ratio â signo, qvod verè est τεκμήριον, qvia incolæ fatali metu à facie Israëlitarum prostrati sunt.

LOCI THEOLOGICI.

I. De consiliis virorum.

Nullius amici, qvamvis vilissimi, consilium spernendum est. Nam ut Poëta ait: πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίρια εἶπεν. Sæpè etiam est olitor valdè opportuna locutus. Imò nec viri alienum ab autoritate sua putent prudentibus mulierum consiliis obtemperare, cum hac ratione etiam magna sæpè incomoda declinari possint. Nam si exploratores Rahabis consilium posthabuissent, involassent procul dubio in emissariorum manus. Sic David rectè morem gerit Abigaili 1. Reg. 25. 32. Atqve utinam Pilatus optimè consulenti uxori suæ auscultâsset, certè non polluisset manus insontis cæde. Insulsi autem & inepti judicii sunt ii, qvi maritali sese dominio abdicari putant, si ad benè monentis uxoris voluntatem se accommodare velint: nihil me herculè minus. Nam libertas sive dominium non evertitur justè, sed in justè factis. Nec est propterea servus, qvi meliori consilio obtem-

perat, ſed qvi peccatorum pedicis veluti capti hærent.

II. Extat hîc exemplum divinæ protectionis admirandum, qvod inqviſitores Jerichuntici, qvamvis ſummâ induſtriâ & diligentiâ adhibitâ, nihil profecerint. Ecce I. omnes vias ultrò citroqve rurſum prorſum qvàm accuratiſſimo ſtudio ſcrutantur, nec tamen ullibi duos Iſraëlitas inveniunt. Sic evaſit Eliſæus 4. Reg. VI. ſic Chriſtus Joh. VIII. Petrus Act. XII. Paulus Actor. IX. & XVI. Sic Athanaſius. Sic Lutherus Warteburgi contra Pontificiorum rabiem defenditur: qvemadmodum Pſ. XXVI. 5. ſcriptum eſt. *Abscondit me Dominus in tabernaculo ſuo, in die malorum protexit me, in abſcondito,* (Hebr. בְּסֵתֶר *i. e.* in latibulo) *tabernaculi ſui.*

LOCI POLITICI.

I. De officio miniſtrorum ac ſubditorum.

Qvi ſuperiorum arbitrio reguntur, in eam curam inprimis incumbere debent, ut ſuorum dominorum mandata ac juſſa ita capeſſant, quo de rebus fideliter peractis grata ipſis nuncia referre poſſint. Abſit omnis mora, faceſſat pigritia, fugiat laborum tædium. Hoc qvi faciunt, gaudere poſſunt DEI præſentia, omnes ipſorum vias fortunantis, atqve ex periculis laborantes mirificè eripientis: ſicut iſti Joſuani miniſtri in extremo vitæ periculo liberationem DEI abundanter experiuntnr.

II. Summa incolarum conſternatio argumentum eſt,

est, certumqve indicium, DEum Rempub. illorum ad alios translaturum esse.

πρᾶξις *sive Exemplum Orationis Didascalicæ, explicantis caput hoc allegoricè.*

Exordium sit εὐνοητικὸν, ductum â materiæ vel rerum utilitate, qvam ex allegoriis tempestivè adhibitis percipere possumus maximam. Nam licet allegoriæ non suppeditent argumenta ἀποδεικτικὰ & ad probandos fidei articulos necessaria: tamen probabiles ac verisimiliter svadentes rationes gignunt, ut Augustinus loqvitur in Epistolâ ad Vincentium. Inserviunt vitæ institutioni, mores corrigunt, articulosqve fidei egregiè illustrant, animis somnolentis medentur, delectant auditores, attentionem augent docendi varietate, præsertim si affabrè compositæ fuerint, & inprimis alicui fidei articulo superstructæ; huc enim primo omnium mentis acies convertenda est. Atqve hac de causa libet ex textu nostro nonnullas allegorias qvasi flosculos qvosdam decerpere.

Propositio est in Genere Didascalico, qvia explicationem & doctrinam pro fine habet. Dividi potest pro subjectarum rerum diversitate. Res sunt 1. exploratores. 2. Urbs Hiericho. 3. Hospita. 4. Juramentum. 5. Signum. 6. Domus. 7. Montana.

I. *Exploratores* sunt *typus omnium Doctorum veræ Ecclesiæ.* 1. Binarius numerus adumbrat duo genera doctrinæ Christianæ legem & evangelium, qvorum præconio DEus cœtum suum semper vult personare. 2. Ut illi jussu Josuæ mittuntur: Ita Christus veluti supremus spiritualis militiæ gubernator, inde ab initio mun-

mundi mittit Patriarchas, Prophetas, Apostolos & variis donis instructos qvosqve Doctores. 3. Sed ut exploratores in extremum vitæ periculum incidunt, atq; inde mirabili modo eripiuntur: ita unusqvisqve verbi minister suas habet, cum qvibus eum conflictari oportet, difficultates: nec tamen his planè absorbetur, qvia Dominus supponit ei protectricem manum. 4. Ut resipiscentem Rahabem in fœdus recipiunt, ac vitam suam tanqvam pignus pro ejus vita interponunt v. 14. Sic ministri Ecclesiæ debent promto animo resipiscentibus peccatoribus januam regni cœlestis clave Apostolica aperire, ac de illorum animabus non secus ac de capite suo curam agere.

II. Urbs *Jericho est imago mundi*. Ut enim Jerichuntici cives exploratoribus vitæ insidias per omnes vias struunt: Ita mundus neminem minus ferre potest, qvàm urbis divinæ præcones, hos dolo ac vi è medio tollere velis remisq; qvod ajunt, contendit.

III. *Hospita est typus gentium*, ex qvibus DEus qvoqve Ecclesiam suam per salutarem in Christum conversionem ædificat. Ut enim Rahab primò membra sua libidinibus fœdis prostituit, postea verò, ubi vitæ impuræ sordes exuit, recipitur in gratiam: Ita nos omnes sumus â natura spirituali fornicatione polluta, & peccatis conspurcata massa; Verùm ubi conversi sumus, non dedignatur nos DEus gratiæ suæ fœdere, & sanctissimæ υιοθεσίας sive filialis immunitatis privilegio.

IV. Ut de salute nostra certissimus, obstringit DEus nobis fidem suam, religioso *juramento, per Sacramentorum usum*, in qvibus non tantùm vitam suam,

Ezech.

Ezech. 18. & 33. *Vivo ego, nolo mortem peccatoris &c.* Sed etiam corpus ac sangvinem suum credentibus oppignorat.

V. Signum immunitatis sive *funiculus coccineus est sacrificium corporis Christi* de ligno crucis suspensum: En hic est funiculus immensæ dilectionis, qvo Christus sibi credentes copulat & indissolubili modo unit. Hos. XI, 4.

VI. *Domus est Ecclesia*: Ut autem nemini licebat extra domum Rahabis parcere: ita extra veram Ecclesiam nulla offertur salus, nulla datur securitas. Hæc est illa domus, qvam Dominus coccineo sangvine Christi ita notavit & insignivit in suo verbo, ut eam qvilibet peccator facilè agnoscere possit.

VII. *Montana sunt scripta Prophetarum & Apostolorum*, in qvibus qvasi in sacrô latibulo, ab omnibus hæreticorum insidiis ac persecutorum furoribus tuti esse possumus.

CAPUT TERTIUM.

IN TERTIO CAPITE ENARRANTUR, qvæ intra triduum vel circiter post exploratorum faustam reversionem acciderunt circa Jordanis transitum. Motis enim ad Jordanem castris, instruit Josua per suos præcones populum partim de ordine ac situ inter eundum observando: partim de qvalitate peregrinantium, ad qvem solennem sanctificationem referimus, qvâ DEus populum suum an-